Epistola 100. 14. 25

.S.C.O. Clarissime atq. Excellentissime Vir,

Domine et Amice observande

Quod dudum fecisse debebam, nunc tandem facio
ut et pro munere luculento Tuo, quo augere
bibliothecam meam dignatus est, gratias agam ingen-
tes, et novum munus et gradum honoris ex animo
gratuler, ut id ipsi ceterisq. bene vertere velit deus
opt. max. Causa neglecti hactenus hujus officii est,
quod cum iter in Hollandiam haberem spes esset in itu
vel reditu isthac transire, et tum coram viva voce
idem agere: verum res meae non permisere animo
meo obsequi, qui alias erat et Daventriam deflectere.
Forte alias vota nostra secundabit Supremus.
Ceterum geminus hic adjectus fasciculus per [illegible]
Brema huc delatus, a Dn. fratre vestro mihi commen-
datus est, quare e vestigio per nautam Leovar-
dientem qui mihi literas Dni Gronovii nostri attule-
rat, eos mittere volui, confido bene curatum iri, de
quo verbo cupiam moneri. Nos hic nuper magnam
jacturam fecimus Academia pariter et ecclesia, in
Dn. D. Altingo et Keuchenio, qui brevi intervallo [illegible]
se invicem subsecuti ad meliores abiere. Paulo ante
et [illegible] Langium amiseramus, ideo ad paulatim redega-
mur ad paucos. Spero Dnos nostri curae fore, ut
qua pote, damnum sarciant. Haec festinans, quia
arctum mihi ocium ob amicos Bremanos et Hamburgenses
qui in transitu ad nos divertere. Vale vir et
amice Eximie, cum dilectissima, cui plurimam salutem
verbis meis dices.

Dabam Gron. Fris. Eid. Febr.
Ao D c I ɔ I ɔ c XLIV.

Vester toto animo

T. Andreae.

Cl. Dn. Wissenbachio
cum plurima salute has
literas reddi quo caret.
Dno D. Lintano etiam
ceterisq. collegis officiosam
salutem adscribo

V. Cl.
Dn. JOHANNI COCCEIO
SS. Theologiæ Doctori
ac Professori Eximio
Dno et Amico
Observando

Franco of
Lieuwarden Franiker